

Universitätsbibliothek Wuppertal

Titi Livii Patavini Historiarvm Libri Qvi Svpersvnt Omnes

Livius, Titus

Mannhemii, 1779

Epitome libri noni

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1259)

E P I T O M E
LIBRI NONI LIVIANI

TITUS *Veturius* & *Sp. Postumius*
apud Caudinas Furcas, deducto in locum
artum exercitu, quum nulla spes evadendi
esset, fœdere cum Samnitibus facto, &
sexcentis equitibus Romanis obsidibus
datis, ita exercitum abduxerunt, ut om-
nes sub jugum mitterentur. Idemque,
auctore Sp. Postumio consule, (qui in
senatu suaserat, ut eorum deditioe, quo-
rum culpa tam deforme fœdus ictum erat,
publica fides liberaretur) cum duobus
tribunis plebis & omnibus, qui fœdus
sponponderant, dediti Samnitibus, non
sunt recepti: nec multo post, fufis a
Papirio Cursore Samnitibus & sub jugum
missis, receptisque sexcentis equitibus Ro-
manis, qui obsides dati erant, pudor
prioris flagitii abolitus est. Tribus duæ
adjectæ sunt, Ufentina & Falerina. Sueffa
& Pontia colonie deductæ sunt. Ap-
Claudius censor aquam perduxit: viam
stravit, quæ Appia vocata est: liberti-

norum filios in senatum legit. Ideoque, quoniam is ordo videbatur inquinatus indignis, sequentis anni consules in senatu legendo observaverunt, quemadmodum ante per proximos censores observatum fuerat. Res præterea contra Apulos, Etruscos, Umbros, Marfos, Pelignos, Æquos & Samnites, quibus fœdus erat restitutum, prospere gestas continet. Flavius scriba, libertino patre natus, ædilis curulis fuit per forenses factionem creatus: quæ quum comitia & campum turbaret, & in iis propter nimias vires dominaretur, a Q. Fabio censore in quatuor tribus redacta est, quas urbanas adpellavit. Eaque res Fabio Maximo nomen dedit. In hoc libro mentio Alexandri Magni, qui temporibus his fuit; &, æstimatis populi Romani viribus, quæ tunc erant, colligitur, si Alexander in Italiam trajecisset, non tam facilem ei victoriam de populo Romano fore, quam de iis gentibus, quas ad Orientem imperio suo subjecerat.